



Kam 234. (1-24)

12

DE  
**SALIVM MEDIORVM,**  
NOMINATIM  
**AMMONIACALIVM,**  
OPERANDI RATIONIBVS  
**QVAESTIONES ACADEMICAS**

\*\*\*\*\*

PRAESIDE  
**PETRO IMMANVELE HARTMANNO,**

PHIL. ET MED. DOCT. MED. THEOR. CHEM. ANAT. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT.  
ERFVRT. SCIENT. VTL. ITEMQUE SOCIETAT. DVCAL. TEVTON.  
HELMSTAD. SODALE, ORDINIS MEDICI HOC TEMPORE  
PRODECANO,

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM  
LEGITIME CAPESSVRVS

DIE MARTII CICLOCCCLXXV.

PVBLINE DISCEPTABIT

**IOANNES IMMANVEL BREMER,**  
RVEGENWALDA - POMERANVS.



---

**TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.**

— — — Adeo est imitabilis error!

PALINGENIUS in Scorpio.



## PRAEFATIO.

Debebatur, vt opinor, fatis Chemiae,  
antiquissimae aequae, ac nobilissi-  
mae artis, non solum exquisitissima  
rerum naturalium, quas arcano parat opifi-  
cio natura, illustratio, particularumque o-  
mnium, quibus ipsae coaluerunt, euolutio,  
verum etiam haud prorsus ineuitabilis Che-

A 2

mico-



micorum, vel ipsorum circumspetissimum  
rum artisque suae exercitio excellentissimo-  
rum, in errores seductio. Ego vero neuti-  
quam id ago, vt ex ipsa Chemiae indole, qua  
nihil vero definiendo est accommodatius, su-  
orum cultorum halucinationes deducam; vt  
potius, quae experimentis sunt adnotata, dif-  
ficulter interdum ad designandam euentuum  
consequentiam adhiberi, planissime adfir-  
mem. Ex quo etiam factum esse reor, vt  
multi, erroris fuga, in errorem sint illapsi.  
Quanquam igitur tot illustrium Chemicorum,  
qui post immortalia IOANNIS IOA-  
CHIMI BECHERI studia in perficienda hac  
arte omnibus neruis elaborarunt, nomina  
vehementer suspicio: certe tamen indignor  
quoque, quandoque ex his bonus dormitat  
Homerus. Atque ego nescio profecto, quid  
sit,

¶

---

fit, cur in eiusmodi sopores, ne dicam so-  
mnia, ipsorum clarissimorum scriptorum,  
quorum ceteroquin magna apud me est au-  
toritas existimatioque, inciderent plures,  
qui, chemicis dogmatibus inique usi, va-  
riorum medicamentorum operandi rationes  
hoc ex fonte eruere sunt moliti. Quasi vero  
natura animalis, aetrix illa motuumque o-  
mnium in humano quoque corpore effectrix,  
ipsorum arbitratu, non suo, agere, vires-  
que suas efficaces physicis medicamentorum  
viribus opponere debeat, et quasi una ea-  
demque chemici pyrosophi et naturae sit of-  
ficina. Ne autem lectoribus temere haec  
scripsisse videar, dictis meis exemplo fidem  
sum facturus. Salia, quae vocant chemici,  
media, in corpus humanum suscepta, reme-  
diorumque vice functura, alii quidem pro

A 3

suarum





suarum molecularum minimarum, eodem ad-  
huc genere comprehensarum, figura agere  
perhibent: alii contra, hac a sententia alieni,  
ad seiuētas horum salium particulas, qui-  
bus dissimilarum proximarum aut *constitu-*  
*tiuarum* nomen vulgo constituunt, omnem  
efficacitatis vim referri oportere arbitran-  
tur. Ab vtraque parte confirmandis argu-  
mentorum punctis chemia adhibetur: quae  
hos omnino recto tramite ad verum ducat,  
illis illudat nubemque obiiciat, profecto est  
necesse. Nos igitur, libellum academicum  
conscripturi, expendemus curatius has vtri-  
usque partis hac super re quaestiones, et in  
cuius tramite veritas sui vestigia praebet,  
illa videbitur nobis viris abundare, siue  
sint chemici, siue clinici, in arte  
sua Rosciis.

§. I.



## §. I.

V  
eremur autem, ne anceps quidquam atque tortuosum in dissertatione ponatur nostra, nisi lectoribus constet, cui nam notioni *saliū mediorū* nomen hic subiici velimus. Quum enim patrum memoria horum salium vocabulum ad ea quoque a nonnullis detorqueri coeperit corpora, quae partim ab ingressu acidorum in terras calcareas, vulgo etiam alcalinas dictas, partim ex eorundem acidorum cum metallicis terris vniōne, in saliniformem compagem coa luerunt: ambigua profecto nostra foret disputatio, nisi verorum salium mediorum, quae sola ad nos nunc pertinent, natura atque mixtio exquisite definiretur. Quippe in praesenti opusculo salis medii nomen nulli alii indituri sumus, nisi illi corpori, quod ex vero acido alcalinoque sale, pro iusta rataque parte intime coniunctis, coiit. Proinde etiam ex hoc consequitur, cum omnia salia, sicut chemicorum tentaminibus euidentissime comparavit, vi admoti ignis vel sine pristinae mixtionis mutatione in altum tollantur, vel hanc respuant eleuationem; *fixa* haec vulgo vocant, *volatilia* ista: vt media quoque salia, quippe salinae naturae non expertia, contrariorum horum sint generum, si cum ignis in ipsa effectibus conferantur. Singulatim autem, quae alcalinum sal volatile ex coniunctione, siue volatilis, siue fixi acidi, generat, salium *ammoniacalium* cognomen acceperunt. De quibus praecipue nunc quaesturi sumus, quae ad agendi rationes pertinent: eo neutiquam confilio, quod ceterorum salium mediorum efficacitatem in humanum corpus plane manifestam putemus,

fed





Sed quod, operis amplitudine deterriti, merito veremur,  
ne consuetos academicae huiusmodi commentationis limites  
simus supergressuri.

## §. II.

Verum enim vero nostrae dissertationi, in modum,  
quo salium mediorum operationes in nostro corpore absoluuntur, curatius inquisitiae, ut suus constet ordo, recensebimus primo eorum celeberrimorum virorum, qui a sola particularum minimarum similarium, quas dicunt, figura, quidquid est effectuum, a salium mediorum usu medico interno exspectandorum, deducunt, argumenta: quibuscum deinde aliorum, itidem nominis celebritate illustrium medicorum, priori sententiae aduersantium, dubia conferemus circumspekte, rationesque expendemus, vnde salia media, in dissimilares aut constitutiuas partes, quod ipsis nomen est, sciunt, in humana corpora operari dicuntur. Piores ergo isti scriptores, ut suo proposito fidem faciant, callide per vtriusque sententiae disunctionem ratiocinantur, suaque veri speciem addere student, dum contrariam alteram admitti posse prorsus negant. Quod si enim, inquiunt, luculentissime demonstrari potest, salibus mediis nullam aut saltem insalubre noxiampque concedi oportere efficacitatem, si in minimas, ex quibus coaluerunt, resoluerentur particulas: nihil superesse caussae adfirmant, ex qua agere operarie possunt, quam solam minimarum sularum molecularum, mixtionis dissimilitudine non discrepantium, figuram. Argumentorum vero, quibus in salibus mediis constitutiuas, quas dicunt, particulas medicamentosam in humanum corpus exercere virtutem negant, sequen-



sequentia sunt puncta. *Primo* quod humano corpori neque tantus inesse deprehenditur caloris gradus, neque omnino inesse potest, quantus vñquam ad vtriusque partis salinae, intime in salibus mediis vnitae, sejunctionem requiritur efficiendam; *deinde* quod animalibus corporis nostri humoribus nullus latex inest acidus, eo potentior, qui mediis salibus est immixtus, adeoque etiam ad alcalinam horum salium partem ex acidi sui confortio excutiendam, neutiquam valet; quod *denique* longe alias a salium mediorum vsu exspectandus esset effectus, quam, qui vere sequitur; quandoquidem cum acidum, tum alcalinum sal, quod summae puritatis atque simplicitatis, concentratum chemici appellant, in salibus mediis deprehenditur, solidam corporis humani compagem pfecto erosurum, atque pessima eidem detrimenta esset illaturum. Quae igitur omnia atque singula cum veritati experientiaeque repugnant, planissime exinde sequi existimant, vt salium mediorum operatio a sola particularum minimarum similium figura debeat deduci.

### §. III.

Tantum vero abeat, vt, qui contrariae fauent sententiae, his speciosis ratiocinationibus conuinci se patiantur, vt potius habeant quoque, quae opportune in contrarium adduci possunt, argumenta. Tametsi enim facile lubenterque *primo* concéidunt, in humano corpore neutiquam tantum deprehendi caloris gradum, quanto plerumque chemici ad varia salia media, sicco igne in particulas dissimilares resoluenda, vtuntur: opponunt tamen idoneisque et rationibus, et experimentis, demonstrant, quod partim varia salia ammoniacalia vel lenissimi caloris vi alcalina sua

B por-



portione priuentur, partim vniuersum salium genus, adeoque etiam illud subsecuum, cui media subsunt, si iterato ordine per aquosos latices dissoluantur locoque seruentur calido, penitus destructum, exuta salina indole, in terram abeat, solutionis plane impatientem a). Neque porro alterius argumenti, quod obiiciunt aduersarii, pondere coerceri se patiuntur. Quod si enim et hoc detur, in humanis humoribus non adeo potentia deprehendi acida, quibus saepe numero chemici ad acidi alcalinique salis disiunctionem vt solent: hoc tamen nomine haud facile dixeris, eadem salium mediorum elementa separari non posse. Partim enim nec desunt acida, licet mitiora, quae destruendis nonnullis salibus mediis sufficiunt; partim nonnulla ammoniacalia salia ad ipsorum fixorum salium mediorum destructionem praesentissimae sunt efficacitatis; partim denique ipsa salia alcalina terraque cognomines in extricandam salium quorundam mediorum compagem, (quod vulgaris est experientiae,) vim habent potentiamque: vt, quae contra prius argumentum sunt opposita, huic quoque infringendo adhibere omnino supersedeamus. Minoris denique est negotii, de tertii argumenti infirmitate disputare. Etenim vix mirari satis possum, qui fiat, vt perspicacissimi isti viri, suorum profecto consiliorum immemores, a concentrato, quod vocant, salium mediorum acido alcalique, si in diuortium abierint, nescio quas, solidarum partium erosiones atque incendia certissima exspectent; cum tamen ipsimet isti de commendando acidi potentissimi, vitriolo inhaerentis, fixique alcalini salis, vsu medico interno, quam primum et dilutiora fuerint, et dosi conuenienti data,  
fatis

a) Confer RUDOLPHI AVGVSTINI VOGELII *Institution. Chemicæ*, §. 71. 72.

satis sint securi. Quasi vero corpori humano desit humo-  
rum aquosorum quidquam, quo natantes in gurgite vasto  
particulas salinas temperare atque diluere, et in minimas  
dissipare doses possit. Superest *denum* nouum quod-  
dam, quod de salium mediorum in proxima elementa re-  
solutione luculenter et sensuum fidei conuenienter testa-  
tur, argumentum. Quis enim est, qui certo experi-  
mento explorataque fide, praeter salis communis pauxil-  
lum, et forte, sed rarius longe, nitri tantillum, in vilo  
corporis humani humore, aut in ullis eiusdem recremen-  
tis variis, aut in ipsis huius machinae partibus solidis, eo-  
rum, quae medicamenti loco sunt adsumta, salium medio-  
rum defexit quidquam, licet exquisitissimum adhiberet exa-  
men. Quae enim ex lotio et bile animali erui possunt,  
salia media ammoniacalia b) domestica sunt et horum liquo-  
rum indigena nec aliunde, eo saltem genere, illata. Quod  
si igitur, quaecunque adsumuntur, salia media suam natu-  
ram particularumque suarum, quas dixi, similarium figu-  
ram conseruarent, atque per intimos corporis humani re-  
cessus integerrima cum profluentibus liquoribus raperentur,  
nae! ego dispersas has ipsorum moleculas alicubi deprehen-  
di oportere merito existimarem.

§. IV.

Verum enim vero antea, quam in conferendis applicandisque ad *salium ammoniacalium* in corpore humano agendi rationes his ipsis vtriusque partis argumentis occupemur (§. II. III.), praesentis omnino interest instituti, ut recensemamus breuiter sigillatimque singula huius generis

b) Teste IACOBUS REINBOLDO SPIELMANNUS in *Institutione  
Chemiae*. §. 72. Experiment. LXIV.



falia, quorum partim *vſus* in re medicamentaria esse solet, partim esse meretur. Suo iam p̄aecepimus loco (§. I.), ex conuenienti fali alcalici volatilis cum quocumque acido, sive fixo, sive volatili, concursu oriſi qualecunque fali ammoniacale, tam diuersae indolis, tamque varii generis, quam diuersa acidorum genera in diuersis corporibus naturalibus partim ipsa offert natura, partim chemicorum artes euoluunt. Hinc *mineralis* originis sunt alia, *vegetabilis* alia, alia denique *animalis*. Haec autem singula denuo naturae prouidentia varias naſta sunt dotes, diuersasque mixtionis rationes, quibus commode inter se discriminentur. Neque ab ipso sale alcalino volatili, ceteroquin constanti siue simili, cum diuersae deprehendatur puritatis atque simplicitatis, aliqua discriminis nota abest. Proinde in faliū ammoniacalium classem transferunt apud chemicos *sal ammoniacum secretum GLAVBERI*, *nitrum flammans*, *sal ammoniacum vulgare*, *sal acerofellae ammoniacale*, *tartarus solubilis*, *spiritus MINDERERI vulgaris*, *spiritus MINDERERI citratus*, *spiritus MINDERERI animalis*, *sal nativum vri- nae*, *sal ammoniacum siccum*, *sal sedatiuum ammoniacale*, et *liquor cornu cerui succinatus*. De quibus omnibus singularisque ut mixtionis ratio inter lectores accuratius constet, ad huius paginae calcem hanc  $\alpha\lambda\sigma\gamma\sigma\pi\alpha$  concinna tabula a) sumus exhibituri. Quippe ita quoque fiet, ut variæ,

- Secundum plerosque chemicos: pauci enim hoc nomiae fali ex fixo alcalino et acido sale natum designant.
- Maxima horum faliū ammoniacalium pars nunc quidem inter omnes fere chemicos satis abunde constat, quaedam vero eorum, v. c. sal acerofellae ammoniacale, spiritumque MINDERERI citratum, quippe parum nota atque vſitata, nostro vſui priua-

riae, quae super horum salium in corpore humano mutationibus ponentur, quaestiones et intellectu sint faciliores, et expeditu commodiores.

B 3

§. V.

to destinauimus, reliquis certo non inefficiora. Sal vrinae natuum soli naturae opificio debetur. En! igitur tabulam:

Sal alcalinum volatile iunctum	acido minerali acido vegetabili acido animali acido dubiae originis aut impurum	1. acido vitrioli: <i>Sal ammoniacale secretum GLAVBERI; Sal ammoniacum vitriolicum.</i>
		2. acido nitri: <i>Sal ammoniacum nitratum; Nitrum flammans.</i>
		3. acido salis communis: <i>Sal ammoniacum vulgare.</i>
		4. acido tartari: <i>Tartarus solubilis.</i>
		5. acido acetii: <i>Spiritus MINDERERI vulgaris.</i>
		6. acido citri: <i>Spiritus MINDERERI citratus.</i>
		7. acido acetosellae: <i>Sal acerosellae ammoniacale.</i>
		8. acido formicarum: <i>Spiritus MINDERERI animalis.</i>
		9. acido phosphori: <i>Sal natuum vri- nae.</i>
		10. acido pinguedinis animalis, alia- rumque partium animalium: <i>Sal ammoniacum siccum.</i>
		11. salis sedatiui: <i>Sal sedarium ammoniacale.</i>
		12. acido succini minerali: <i>Liquor cornu cervi succinatus.</i>

Quin etiam videas passim in variis medicamentorum formulis, tam publicis et officinalibus, ut vulgo vocantur, quam privatis, coniungi spiritum tartari vitriolique cum spiritu salis ammoniaci, vrinae, cornu cervi, et id genus aliorum: ex quibus omnibus salia quedam ammoniacalia enascuntur. Tenerimae tandem naturae salia ammoniacalia vitriolica et nitrosa oriuntur, dum



## §. V.

Vnumquemque autem, qui ad eas mutationes, quae dictorum salium (§. IV.) mixtione humano in corpore accident, recte diiudicandas animum appellit, circumspete attendere oportet, partim ad eam tot tamque variarum particularum, cum alienarum et extrinsecus illatarum, tum indigenarum et domesticarum, in haec salia efficacitatem, quae a solis *viribus physicis*, singularum naturae inherentibus atque propriis, dependet, adeoque etiam extra humanum corpus persistit, experimentisque idoneis declarari potest, nisi forte ab hac extra corporis nostri limites transpositione ipsa istarum partium mixtio et connatarum virium physicarum peculiaris apparatus mutetur: partim ad vniuersae machinae nostrae singularumque partium solidarum *vires mechanicas*, quae cum saepe numero virium physicarum actionem, vario multiplicique motu intestino excitatam, dirigunt, confirmant, moderanturque, tum mutuo renisu, repulsi, frictione, attritu, circumvolutione, vorticoso circumactu, vibratione, alisque incarrabilibus motibus, quaecunque in canales anfractusque suos sunt suscepta, attentant, atterunt, imminuunt, tandemque haud raro im-mutant. Ex quibus omnibus luculentissime apparere existimamus, quantis salium mediorum ammoniacalium agendis rationes ea, qua par est, accuratione examinatur implacentur difficultatibus, et quam promte, dum vitant vitia, in contraria currant. Proinde etiam circumspectissimi iudicium senex, optimusque huius modi rerum arbiter aestimatorque, illustris IOANNES FRIDERICVS CARTHEVSR,

licet

naphthae huius generis ex spiritibus eiusdem originis acidis dulcificatis, spiritus vinosi ope, sciunguntur.

licet eorum potissimum faueat sententiae, qui mediorum salium, in humanum corpus adsumtorum, in elementa dissolutionem negant, eademque integra plerumque, hoc est, retenta pristina sua mixtione persistere adfirmant, mox tamen, dictorum argumentorum vim circumspiciens, addit e): Plerumque, inquam, et quoad maximam partem; dum probari omnino poterit, dissolutionem molecularum quarundam radicalem sub certis circumstantiis non plane impossibilem esse. Et paullo infra idem: *Licet nulla, inquit f), coetio locum in animantium corpore inueniat, calor tamen perennis humidusque adest, et multiplex partiter atque creberrime repetitus partium motarum attritus accidit, quae, nisi totalem, partiale tamen salium mediorum dissolutionem radicalem, seu dissolutionem mixtionis efficere valent; praesertim, si, ob languidas aut suppressas se et excretiones, moras diuturniores in corpore trahere cogantur, vel humoribus, putredinis labe nonnihil infectis, altius immerja haereant.*

### §. VI.

Ergo, dum primo, quae a simplici *virium physicarum* efficacitate (§. V.), quibus tot tamque varii corporis humani liquores, naturae conuenienter inconuenienterque mixti, reliquaequaeque materiae, alimentorum, medicamentorum, venenorum, miasmatum, aut quoconque alio nomine in corpus illatae, aut intestina labe euolutae, pollere deprehenduntur, salium mediorum ammoniacalium mixtioni accident mutationes, paullo attentius consideramus, non opportuniorem in hoc opere ordinem secuturi nobis vide-

e) In *Fundamentis materiae medicae*, Tom. I. pag. 309. edit. recent,

f) Ibidem. p. 310.



videmur, quam si illud ipsum persequimur iter, quod omnibus particulis, a quolibet liquore animali solubilibus, postquam ore sunt adsumtae atque deglutitae, ipsa natura praescripsit. Quorum omnium singulorumque singulas non expensuri sumus proprietates, (infiniti enim hoc esset operis,) sed de his modo nunc agemus in tantum, in quantum exinde perspici potest, quid omnes isti liquores, reliquarumque variarum rerum in tubo intestinali conuentus in salium ammoniacalium mixtionem, tanquam menstrua atque reagentia, quae chemici vocant, sive cohaesionis simplicis, sive adfinitatis lege, efficere possint. Ad quae singula argumentorum nostrorum puncta non alia adpositi sumus experimenta, quam quae certissima sunt atque explorata: praetermissis omnibus, quae forte probabilitatis tantummodo specie decipere possent.

### §. VII.

Ante omnia autem nosse oportet lectores quaedam, quae corpori humano viuo *generatim* propria sunt, et a quibus aliqua *actio physica* in vniuersa compage hominum animali in applicata corpora merito poterit exspectari. Huius generis est *color naturalis* humanus, non vniuersi solum corporis, sed et omnium humorum, qui per eius canaliculos vndique circumuehuntur. Quippe per multiplicia constitit experimenta, calorem hunc XXXII gradu thermometri Reaumuriani, aut XCIV ad C gradu Fahrenheitiani definiri g), nec deesse tentamina, quae calorem viscerum abdominalium aliquanto uno duobusue gradibus Fahrenheitiani-

g) Conf. perilluistris ALBERTI de HALLER *Elementa physiologie* Tom. II.  
pag. 35.

heitianis maiorem deprehenderunt *h*). Augetur hic calor a variis morbis, sanguinem incalefacientibus, ita tamen, ut nunquam, vel in ipsa feruidissima febre, CIX gradum posterioris thermometri superaret *i*). Si fides STEPHANO HALESIQ; est habenda, naturalis vrinæ calor eum, qui sanguini inest, quatuor gradibus excedit *k*). Quae ipse hac de re in meo corpore expertus sum, ingenue referam et ad veritatem accommodate. Juuenis viginti quatuor annorum plerumque corpus habui ad XCVI vel XCVII gradum Fahrenheitianum incalescens *l*): dum vero iisdem temporibus saepe numero per aliquot horas experimentis electricis instituendis operam dabam, et interdum concussu electrificatorio, quem Kleistianum aut Muschenbroeckianum physici vocare solent, incitabar, non solum inconspicua transhalatio intra duarum horarum spatium quinque sexue vnciis est aucta *m*), verum etiam naturalis corporis mei calor tandem CII gradum eiusdem attigit thermometri. Deinde cum ante hos quinque annos vehementissima febre rheumatica adficerer, cuius historiam alibi *n*) descripsi, in summo secundi paroxysmi aestu febrili exploravi, ad moto partibus subaxillaribus nudis hoc thermometro, præ-

## C fentis

*b) Ibidem.*

*i) Ibidem pag. 36.*

*k) Ibidem p. 35. not. (g).*

*l) Vtor thermometro, ipsius FAHRENHEITI manu confecto: quod idem olim dono dederat illustri Academiae Fridericianae Cancelario, CHRISTIANO WOLFFIO.*

*m) Confer a me conscriptam solemnem dissertationem de sudore unius lateris §. III. (6).*

*n) In Dissertatione de nonnullis ad febres rheumaticas pertinentibus, §. V. seq.*



sentis caloris gradum, quem CVI fuisse animaduertebam.  
 Sed cum forte fortuna, deferuescente iam febre, post tri-  
 cesimum circiter paroxysmum, peruviani corticis decocto  
 vterer, subito referuit febris adeo, ut hydrangyrum in  
 thermometri tubulo CVII. gradum attingeret. His igitur,  
 et meis, et aliorum experimentis certus, definitum corpo-  
 ris humani, tam sani, quam morbos, calorem intra XCIV et  
 CIX gradum thermometri Fahrenheitiani contineri, sin-  
 gula supra exposita salia ammoniacalia (§. V.), cum a na-  
 tura fluida, tum destillatae aquae vulgaris ope solutā, per  
 aliquot temporis spatium digestioni, quae a chemicis dicitur,  
 exposui, quae intra dictos caloris gradus, admoto eodem  
 isto thermometro, circumspēcte coercebatur. Inde enim  
 manifesto declaratum iri ratus sum, restene negetur, nec  
 ne? tantum caloris gradum in humano deprehendi corpore,  
 quanto saltem ad ammoniacalia salia media, ex elementis su-  
 is extricanda, opus est (§. II.). Singulorum horum sa-  
 lium, quae ipse summa circumspēctione et chemicis regulis  
 conuenienter confecim<sup>m</sup>, semunciam adsumsi. Quae ex tri-  
 bus istis *acidis mineralibus* originem deducebant suam (§. IV.)  
 diei noctisque spatio in retorto vitro digesta nihil elemen-  
 torum suorum amiserunt, praeter tertiam circiter partem  
 aquulae insipidae, quae menstrui loco fuerat. Ipsa pör-  
 tio superstes adhuc tepida, in vasculum vitreum effusa, mox  
 lateribus et vniuerso margini tanquam succrescentes adpo-  
 suit eius, quod inerat, salis crystallos; quae collectae et  
 prouide siccatae prius fere reddiderunt pondus, amissis  
 sex septemue forte a crystallisatione granis: nitrum tamen  
 flammans paene scrupulum ponderis perdiderat. Eodem  
 tem-

<sup>nn)</sup> Excepto vulgari *sale ammoniacō*.

temporis interuallo, quae ex diuersis vegetabilibus acidis subnata erant, salia ammoniacalia (§. cit.), eodem caloris gradu, magnam salis vrinosi partem, et ex his sal acetofellae ammoniacale paene omnem, amiserunt: adeo ut etiam superstes in retorto vasculo liquor salinus instillato syrupo violarum subrubesceret, pauxillum vero illud aquae in excipulo collectae subuiridem proderet colorem, nec odoris saporisque alcalini expers esset. Caeu autem, in horum salium examine ignem ultra praeditum caloris digerentis gradum intendas: alias enim et ipsum vegetabile acidum protruditur, factaque noua vnione artificem fallit. Ex illa vero salium ammoniacalium classe, quae *animali acido* debetur (§. cit.), solum sal natuum vrinae ad manus fuit; cuius drachma, ut ante diximus, soluta et definito isto caloris gradu digesta vrinosum emisit liquorem. Quin etiam ipsum siccum hoc sal a moderato calore priuari alcalina volatili portione, ex Marggrafianis experimentis o) nemo ignorat. Praeter haec vero probe adhuc memini, cum olim et formicarum acidum, MARGGRAFI methodo p), et pinguedinis animalis acidum, ad praecepta Segneriana q), conseatum paratumque haberem, et ex utriusque in sal vrinosum ingressu enatum, prius fluidum, posterius siccum, sal ammoniacale partim destillando, partim sublimando, examinarem, me sub primo eoque leuissimo ignis gradu vrinosum olfuisse odorem. Quod ex dubii generis acido, sali sedatiuo inhaerente r), per vrinosi salis coniunctionem confeci sal

C 2

quo-

o) In Chymischen Schriften Th. I. pag. 85.

p) Ibidem pag. 347.

q) In Dissert. de acido pinguedinis animalis, Göttingae anno CICCCCLIV.  
emissa.

r) Liceat mihi de acido huius salis genere tantisper dubitare, quoniam



quoddam ammoniacale (§. cit.) ab auctore quodam idoneo monitus <sup>1</sup>), adeo laxe sua elementa coniuncta habet, ut protinus iterum, dum moderatissime calet, ex amplexu suo volatilem alcalinam partem dimittat. Liquoris denique cornu cerui succinati, salis nempe ammoniacalis impuri, ratio ad ignem fere eadem fuit, quae est salium ammoniacalium vegetabilium: sub digestionis enim calore aliquam virinosi sui salis partem dimisit, sub auctiori vero vniuersam massam salinam medium in excipulum transfudit. Ex his omnibus inter se collatis comparatisque facere omnino non possum, quin in eorum discedam sententiam, qui tanto corpus humanum pollere adfirmant calore, quantus ad extricanda nonnullorum salium mediorum, praecipue ammoniacalium, requiritur elementa (§. III.).

### §. VIII.

Inter eas porro corporis humani partes, a quarum *physica actione* generatim aliquid mutationis salium ammoniacalium mediorum mixtione inferri potest, haud postremo profecto loco numeranda est insignis *elementi aquae copia*, quae omnibus singulisque animalis nostrae machinae humoribus inest, et perenni motu per omnia vascula circumfluit, aut in variis receptaculis passim continetur. *Sanguinis* siue variam temperiem, siue sanam morbosamque species conditionem, computatis tot tamque diuersorum auctorum experimentis, aquae portio sex septemue octauas

nuperis *Obermayerianis* experimentis hanc item nondum esse compositam existimo.

<sup>1</sup>) Auctore nimirum *der allgemeinen Begriffe der Chymie*, Th. III. pag. 430. edit. german. Lipsiens. CCCCCCLXIX.

uas partes totius constituit massae *t*). Maxima aquae portio sanguinis sero ineft, quippe quod, periculis chemi-  
cis factis, in XLVII partibus aquei elementi XLIII partes comprehendit *u*). Si reliquos persequearis humores ani-  
males, *saliua* circiter quatuor quintas aquae partes *x*), et in eadem quoque ratione *liquor gastricus* simplex, cum sit  
saliualis generis *y*), comprehendit. Neque ab hoc ablu-  
dit *fucci pancreatici*, quippe etiam saliualis, aquea natura *z*). Quae autem praeter haec in ventriculo tuboque inte-  
stinali deprehenduntur, particulae aqueae, cum alimentis potulentisque illatae, tam multiplicis diuersaeque sunt co-  
piae, vt rationem inire omnino nequeas: hoc tamen cer-  
tis indubiusque constitit experimentis, hic quoque, si se-  
paratam exinde chyli copiam computaueris, ingentem a-  
queae portionis copiam concedi oportere. Eandem quo-  
que ob cauſam, quod vna cum chylo et aquosorum potulen-  
torum aqueae particulae villos lacteos subire possunt, ipsius  
chyli aquosa pars nunquam satis definite describitur. Hanc  
autem copiosissimam inesse oportet, quoniam *lacti*, quippe  
ad chyli naturam proxime accedenti, ceteroquin tamen iam  
adipis et lymphae aliqua accessione mutato, tanta aquae  
portio inesse deprehenditur, vt in lactis vniuersis duodecim  
circiter vndeclim aquae *a*), aut secundum alios in XXXII

## C 3

par-

*t*) de HALLER loc. cir. pag. 97. seq.

*u*) Ibidem pag. 139.

*x*) Ibid. Tom. VI. pag. 55.

*y*) Ibidem, pag. 142 et 328.

*z*) Ibidem, pag. 446.

*a*) Conf. illustris IO. FRIDER. CARTHENVSER in *Fundam. mater med.* Tom I. pag 233.





partibus lactis XXIX aquei elementi sint animaduersae b). Quae progredienti chylo adfunditur, vasculorum valuulorum *lympha*, quod ad portionem aqueam attinet, circiter cum sero conuenit, a quo, teste illustri HALLERO c), parum abludit, adeoque fere septem octauis aquae partibus constabit. Neque profecto erraueris, si ad eandem elementi aquei proportionem reliquorum quoque humorum aquosorum, qui passim humano corpori insunt, rationem circiter inreas: verbi causa, liquidi perspirabilis Sanctoriani, aliorumque vaporum in interna caua transhalantium, lacrimalis aquulae, liquorum oculariorum, et ceterorum. De *urina* singulatim, tot chemicorum experimentis attentata et examinata, constitit, in eadem saltem, si, verbi causa, vniuersa portio XXIV aut XXXII vncias aequauerit, aqueam partem esse XXIII aut XXXI vnciasarum d): licet lubenter concedamus, non aliud in animali corpore deprehendi humorem, cuius naturalis mixtioneis proportio magis inconstans sit, magisque sui dissimilis. *Mucosum* liquorum animalium genus, licet spissius reliquis, aquaque grauius videatur, vix tamen, praeterquam, aliorum elementorum XVIII partem comprehendit e). Ex oleosis denique atque inflammabilibus animalis corporis liquoribus adipem tantummodo atque bilem attigisse sufficiat: omnes enim, dum secernuntur, tenues sunt aquosique. In ipso quidem *adipe*, difflata aqua inspissato,

per-

b) YOUNG de *lacte* pag. 33.

c) In libr. cit. Tom. II. pag. 129. seq.

d) Confer varios auctores ab illustri de HALLER in libr. allegor. Tom. VII. pag. 351. excitatos.

e) Ibid. Tom. II. pag. 363.

perparum aquae inuenierunt chemici f): veri autem est simillimum, eidem plus inesse aquei elementi, dum viuit animal; quod ipse hic adeps partim per morbos facilissime in gelatinosum abit liquamen, partim in fetu et teneroribus infantibus mera est gelatina. In *bile* vero cystica, variorum chemicorum tentaminibus, longe maxima deprehensa est aquae ratio, si recens fuerit bilis: quippe alii CXII ad CXXVIII, siue VII ad VIII partes g), alii VIII ad XI partes totius bilis h), expensa portione aquea, constituerunt. Quanto plus ergo aquae mixtionem hepaticae bilis, quippe longe tenuioris, subire restissime putas. Quaecunque igitur de aquei elementi proportione in animalibus humoribus hactenus disputauimus, eo valent, ut lectores expositae intelligent, tantum hic vbiique deprehendi aquae, quantum ad soluenda salia, si etiam domestica ipsius corporis humani, et extrinsecus, medicamenti loco, illata coniunctim sumas, satis abunde sufficit. Qualemcumque enim tocius modo expositae computationis summam facias, certe in vniuersa omnium humorum animalium massa septem octauas partes aquae admittere te oportet. Adde nunc, in homine adulto, qui CLX libras circiter pondere aequat, humorum in circulum redeuntium pondus minimum quinquaginta librarum i), liquorum vero omnium, tam circulan-  
tium,

f) *Ibid.* Tom. I. pag. 30.

g) Eo redeunt circiter pleraque initae rationes apud illustrem *de HALLER* Tom. VI. libr. cit. pag. 571. seq.

h) Vid. IOANN. MICHAEL. ROEDERER *Experimenta circa natu-  
ram bilis*; §. XVIII.

i) *de HALLER* in *primis lineis physiologiae*, §. 149.



tium, quam stagnantium, pondus C circiter et XXXV librarum k), aestimari. In priori ergo proportione saltem XLIV fere librae aquae vorticoso motu in citulum rapientur: si vero posteriorem malle, probabili coniectura centrum circiter librarum aqueam partem aestimare poteris; quoniam stagnantium liquorum magna pars adeps est, ad quem parua tantummodo aquae portio referri potest. Quomodo cuncte haec definiuntur, hoc tamen exinde intelligitur, vastissimum esse aquarum gurgitem, in quem suscepta a vasculis bibulis animalibus salia demerguntur, perennique motu circumaguntur atque ad varii generis corpuscula, ad quae passim in itinere suo allidunt, atteruntur. Fieri exinde omnino non potest, quin ammoniacalia quoque salia, quae ingesta sunt, non solum, simulac vasa inhalantia subierunt, in perpetua solutione detineantur, sed etiam tandem, in primis si forte post repetitos circuitus in cellulas animales cum stagnantibus humoribus sint deposita, in elementa sua tam propiora, quam remotiora, fastificant. Verissimum enim et naturae ad sensu omnino confirmatum summi nuper chemici, RUDOLPHI AUGUSTINI VOGELII, est effatum: *Dum salia, dicentis l), aqua soluuntur, et solutio loco calido per aliquod temporis spatium persistit, terram in fundo vasis reperire licet, non amplius aqua solubilem.* Et porro: *Similiter haec corpora salina sum, quam in sinu fouent, terram conspiciendam praebent, si per repetitas vices aqua dissoluuntur atque inspissantur.*

#### §. IX.

Praeter haec, quae nunc disputauimus (§. VII. VIII.),  
haud

k) GEORG. ERHARD. HAMBERGER in *Physiologia medica*, §. 71.  
In *Institutionibus Chemiae* §. 71. 72.



haud immerito forte inter *causas* istas vniuersales *physicas* quae in humano corpore in destruendis salium ammoniacalium mixtionibus efficacissimae deprehenduntur, referre possemus *aerem*, non solum in humoribus nostris, sed in solidis quoque partibus, et in corporibus quoque corpori nostro tam applicatis, quam illatis atque immisis, haerentem; quem nunc satis peruulgato nomine *fixum* appellant. Neminem enim, nisi scientiae physicae prorsus ignarum, dubitare oportet, quin et hic ipse aëris varia ratione varioque efficacitatis successu salia praedita, in nostros humores delata, sit adgressurus ingressurusque: postquam nuperis experimentis variis perspicacissimi aliquot viri, in primis **OSEPHUS BLACK m**), et **DAVID MACBRIDE n**), in naturam viresque huius aëris fixi sollicite inquisuerunt. Verum enim vero cum haec ipsa, quae hoc de aëre agit, doctrina multis adhuc difficultatibus laboret, neque ab aduersariorum dubiis planissime et explicatissime sit vindicata; licet plurima illic vero consentanea adfirmari intelligam: malui tantisper ab eiusmodi ancipitis et controuersi argumenti applicatione ad exquirendas salium mediorum in corpore humano mutations abstinere, donec, excussis opinionum commentis, ipsa exploratissima veritas inter physicos chemicosque litem componet.

### §. X.

Per partes *speciatim* ituri, et eo itinere, quod singulis humoribus animalibus ipsa praescripsit natura, institutum nostrum persecuturi (§. VI.), id agemus, ut in singu-

D lo-

m) In *Essays and Observations*, read before a Society in Edinburgh, Volum. II. Edinburgh, 1756. pag. 157. seq.

n) In *Experimental Essays*, London, 1764. speciatim pag. 32. seq.



lorum singulari mixtione ea exquiramus elementa, a quorum physica actione aliquid efficacitatis in mutanda inuertendaque salium mediorum ammoniacalium compage merito exspectari potest debetque. Inde enim liquido apparebit, non fortioribus tantummodo acidis ad salium quorundam mediorum destructionem efficiendam opus esse, vt nonnulli contendunt (§. II.), verum etiam partim a mitioribus acidis attentari fortiora, in nonnullis salibus mediis contenta, partim salia in nostro corpore interdum deprehendi alcalina terrasque congeneres, quibus omnino vis quaedam atque efficacia in nonnullorum salium enixorum syncrisin denegari haud potest (§. III.). Primo ergo loco se offert *salivialis succus*: ille quippe, quem et saliuales glandulae, et arteriolae exhalantes coniunctim in os effundunt. De quo si quaeras, acturusne sit in salium mediorum mixtionem, nec ne? ante omnia circumspicere te oportet, vtrum naturalis sit saliuae conditio, an morbos? De prioris genere salino adhuc disceptant chemici atque physiologi <sup>c)</sup>, et ipso experimentorum apparatu alii alcalinam, alii acidam constituunt saliuam. Verum enim vero cum mei nunc non intersit instituti, vt de hac controversia curiose constituam; quandoquidem, si quid recte iudico, vel ipsa ceteroquin sanissima saliu a iejunio, a largiori vini vsu, a varia ciborum indole, ab hausto tabaci fumo, aliisque forte cauiss, mox subacescit, mox subalcalescit: praestare in praesentia arbitror, ad explicandam saliuae naturalis in mutandis salibus mediis efficacitatem huius qualiscunque principii salini non habere rationem. Contra ea vero morbosae saliuae vis

<sup>c)</sup> Confer illustris de HALLER *Element. Physiolog.* Tom. VI. pag. 52. seq.

vis atque actio in nonnullorum salium mediorum mixtionem  
hoc loco neutquam est negligenda: quippe aegrotis potis-  
simum, non vero sanis huiusmodi salia dari solent. Atque  
hic ne ex praesumtis opinionibus speciosas adferre videar  
ratiocinationes, ea solum, quae passim diuersoque tem-  
pore hac super re ipse attentus obseruaui, sincera referam  
fide. Evidem vulgaris esse noui obseruationis, in non-  
nullis hypochondriacis, hysterics, aut scorbutico humo-  
rum inquinamento infectis, saliuam interdum velut vitrio-  
lico imbui sapore, adeo, vt et dentes stupefacere sit visa,  
immo saepius eosdem vere eroserit. Cuius a credinis sali-  
nae vim naturamque, aliquot exemplorum opportunitate  
vsus, explorauit: ex quibus examinibus, quae huc faciunt,  
breuiter enarrabo. Quem ante paucos annos academia  
Iulia Carolina praelevata morte amisit, subtilissimus ma-  
thematum professor, habitus ex atra bile maxime cacochy-  
mici, aliquoties adeo vehementer ex hypochondriis labora-  
bat, vt etiam in insaniam incideret. Cum ad se rediisset,  
admodum conquestus est apud me de austero sapore, a quo  
os velut atramento scriptorio perfusum sentiret. Petii, ex-  
spueret saliuam, quae copiose sua sponte adfluebat, in  
vasculum, vt explorandae eiusdem esset opportunitas.  
Hac ratione intra viginti quatuor horas circiter tredecim  
collectae sunt vnciae saliuae subacidulae, quantum ex odo-  
re colligi poterat. Scobs cupri elimata et eidem per diem  
noctemque immissa viridem induxit colorem; non, vt a  
sana saliuia accidere solet <sup>p)</sup>, coeruleum. Postquam mode-  
rato igne circiter dimidia pars in auras erat explosa, magis  
adhuc viruit haec tintura. Atque hanc, inter alia tenta-

D 2

mina

<sup>p)</sup> Vid. ibidem pag. 54. not. 9\*).



mina chemica, instillaui quoque variis salium mediorum solutionibus aquosis: ex quibus ammoniacalum sequentes fuerunt euentus. In lixiuio *salis ammoniacalis secreti* nulla animaduersa est mutatio, nisi quod leuiter virefceret; in eo autem, quod *nitrum flammans* continebat, haud ita multo post miscelam odor nitroſi acidi distincte est dispersus, et coerulescere coepit lixiuum, post aliquot autem horas in fundo vasculi tenerimus subsedit puluis admodum exiguae copiae, coloris obscurissime viridis et paene albi, per noctem iterum a supernatante lixiuio solutus, vnde illud subvirescere coepit. Post lentissimam evaporationem dimidii circiter lixiuii reposui residuum in locum frigidum: ubi post aliquot dies in vasculo enatae sunt iterum crystalli prismaticae, ad marginem autem eiusdem vasculi, quo superficies lixiuui pertingebat, succreuerunt sparsim minimae quaedam paucissimaeque crystalli, etiam prismaticae, sed breuiores prioribus, et manifesto a reliquis seiustante. Ista sub examine nitri flammantis naturam prodiderunt: hae autem, licet ob exiguum copiam examinari non possent, statim tamen ex sequentibus phaenomenis suam originem aliunde, et neutiquam ex nitroſo genere, deduci oportere demonstrarunt. Quippe candenti carboni impostae non deflagravit, sed cum aliqua spuma sunt liquefactae, odore inter haec leuiter vinoſo emisso. Quae ab hac liquefactione remanserat, videbatur tenerima terra calcarea: aquae autem destillatae iniecta protinus soluebatur, neque poste, paene diffusa aqua, iterum in cristallis abibat. In fundo istius vasculi, in quo omnis haec mixtura adseruata erat, post vtriusque istius salis crystallationem denuo tenerimus iste subvirescens subsederat puluis, qui, acidorum variorum adſuſione attentatus, aperte cal-



calcis venereae naturam exhibuit. Ad easdem prorsus rationes saliualem hunc liquorem permiscui cum saturatis lixiuiis *salis ammoniaci vulgaris, tartarique solubilis ammoniacalis q)* itemque cum *spiritu Mindereri*, et fere eadem obseruaui phaenomena; si nimirum, quae ad prouentum singularis huius salis pertinent, species. Eadem enim crystalli prismaticae, quas diximus, ex omnibus his mixturiis, licet parcissime, succreuerunt, eiusdemque fuerunt naturae, dum igne explorabantur. Ceterum, dum miscui hos liquores, sal ammoniacum acidi salis communis, spiritus Mindereri autem acetii odorem distinete sparsit: in solibili vero tartaro nihil maxime, quod distinete olfeceris, se obtulit, sed mox post miscelam quantulacunque portio crystallorum tartari ex lixiuio hoc denuo ad fundum vasculi est deiecta. Vnde nam ergo singula haec phaenomena? Vnde singulares istae constantesque in omnibus mixtionibus crystalli? An ex peculiari saliuae morbosae acido? Vnde hoc acidum, et cuius generis? An forte per diacrisin aut diathesin morbosam euolutum ex pinguedine animali resoluta, ex materia corporis phosphorea, vbique in hoc aegroto exagitata, aut ex aliis liquoribus? An hoc acidum reliquis, si vitriolicum excipias, fortius efficaciusque? Nae! ego hac super re multa quaesuerim: certi quidquam definire non audeo. Sim Dauus: dummodo alios inueniam Oedipos. Haec saltem ex omnibus his apertissime confici possunt, adeo interdum per morbos mutari saliuae naturam, vt et salium nonnullorum mediorum elementa quodammodo et aliqua ex parte seiungat. Ceterum meae fidei est, non dissimulare, me aliis quoque colligendae

D 3

hu-

p) Conf. supra §. IV. not. e)





huiusmodi saliuæ morbosæ austeroque sapore praeditæ opportunityibus esse vsum, nunquam vero iterum sub iisdem examinibus eadem obseruasse phænomena; licet ceteroquin varia haec saliuæ passim ab immissa scobe cuprea viridem contraheret colorem. Nouitamen hominem, qui liquoris mercurialis Swieteniani, ex sublimato mercurio confecti, vsum per plures hebdomades protraxerat, adeoque acrem inde sibi comparauerat saliuam, ut non solum dentes eroderentur, verum etiam, cum forte aliquam huius saliuæ portionem examini chemico subiicerem, variorum salium mediorum elementa eiusdem adfusione quadamtempus disiungerentur. Quae omnia si sigillatim persequi vellem, iusti voluminis, non opusculi academici, formam habiturae essent hæ plagulae. Interim hoc vnicum ad haec adiicere liceat tentaminum cum saliuæ institutorum exemplum. Cum terrei, quod generi calcario potissimum subiicitur, elementi tanta saepe numero saliuæ insit copia, vt inde adeo in saliuibus duilibus calculi concrescant: statui quoque mecum, accuratius experiri, vtrum ab hac quoque terra aequæ, ac ab aliis calcariis, ammoniacalia salia in suas partes elementares, vt vulgo vocantum, dissolui possint, nec ne? Proinde eius calculi saliuialis, quem alia occasione luculentius descripsi<sup>r</sup>), particulam, in puluerem redactam, cum æquali salis ammoniaci portione in vitro mortario per trituram permiscui. Atque tum ego vix vrinosi quidquam subolfeci: cum autem aquam adfunderem, nihiloque segnius massam hanc terendo agitare pergerem, copiose vrinosum acidi sui viniculis est extricatum. Ex quo

phæ-

<sup>r</sup>) In *Programmate de calculo sublinguali*, Helmstadii anno CICLOCCCLXII.  
emissio.

phaenomeno equidem facile coniecerim, fieri omnino non posse, quin, si forte huiusmodi terreis particulis saliuia abundauerit, omnia quoque ammoniacalia salia ab eodem terreo elemento attententur. Sed haec de saliuia sint satis dicta; aeque de *pancreatico liquore valitura*, cum sit generis saliuialis.

### §. XI.

Cuius nunc efficax in salia ammoniacalia actio porro euoluenda est, maxime composita illa materies, quae in ventriculo vniuersoque tubo intestinali congregitur, tam multiplicis est generis, tamque infinitae est varietatis, adeoque etiam diuersarum virium, vt, si in his singula quaevis vel attingere tantum vellemus, rerum traſtandarum multitudo breuitati, quae huiusmodi libello academico conuenit, profecto sit obtutura. Proinde pleniorum huius argumenti per traſtationem, alia oblata occasione, re-colemus. Sufficiet in praesenti, vt exemplis quibusdam illustretur nostra oratio, paucorum tantummodo quorundam inferre mentionem. Quae in ventriculo intestinisque, velut in cella corporis humani penuaria, colliguntur, varia omnino sunt atque multiplicia: quorum alia ipsum corpus diuersos in usus confert, alia necessitas alieni seruandique corporis per oris oesophagique vias adferre docuit. Ex priori genere sunt, praeter delabentem saliuam et adfluentem liquorē pancreaticum, de quibus iam egimus, *sucus gastricus intestinalisque*, bilis, mucusque; ex posteriori vero omnia esculenta atque potulenta, immo et medicamenta: quorum omnium singulorumque tam diuersa est mixtio multiplexque natura, vt omnino nequeat exquisite definiri. His adde, fieri omnino saepe nume-



numero, ut naturales isti liquores vario inquinamento morbo, partim per metastasis, partim per resolutionem variam, inficiantur, suaeque mixtionis blandam perdant naturam. Adde porro, commixtum ex his omnibus paramque *chylum* interdum per varia impedimenta retardari, quo minus expedite libereque ad sanguinem progredi possit: unde profecto et iste vario acore salino corrumperetur. Putabisme ergo ea ratione horum singulorum liquorum vim efficacitatemque in ipsorum salium mediorum mixtionem quoque, si forte adsumta fuerint, nullo modo mutatum iri? Nae! ego, quotiescumque recentissimorum chemicorum, in primis quoque clarissimi viri, DONALDI MONRO<sup>s</sup>), indefessa studia in despiciendis demonstrandisque acidorum vegetabilium animaliumque differentiis mecum recolo, et in iisdem experimentis versor, toties profecto temperare mihi non possum, quin plenissime existimem, in ventriculo atque intestinis haud raro cum alimentorum vario apparatu confundi diuersa acida vegetabilia, quae forte adsumtis nonnullis salibus mediis vim inferunt, eorumque elementa disiungunt. Acetum vini, verbi causa, cuius in acetariis, in posca, et in variis ciborum praeparationibus tam frequens est usus, omnia salia media, quae tartari ingreditur acidum, destruit<sup>t</sup>: idem inter medicamenta efficit tamarindorum decoctum u). Ex sale acetosellae ammoniacali (§. IV.) meracum passularum Corinthiarum decoctum iterum acidam partem deiecit, vi nostri

<sup>s)</sup> In *Philosophical Transactions*, Vol. LVII. Part. I. et II. pag. 479. seq.

<sup>t)</sup> Confer auctores in SPIELMANNI *Institut. Chem.* pag. 339. citator.

<sup>u)</sup> Monente VOGELIO in *Institut. Chemiae*, §. 469.

nostri experimenti. Tacemus, quae per medicorum incuriam interdum circa eadem tempora aegrotis adhibentur, a mutua destructionis vi non aliena. Vidi nuper aegro cuidam praescriptum gratissimi saporis iulepum, vi-trioli spiritu acidulum redditum; quo, quandocunque vellet, se reficiebat aegrotus: nihil tamen secius idem singulis trinis horis puluerem, ex nitro, tartaro tartarisato, et sale polychresto mixtum, adsumere iussus erat. Sed huius generis plura quotidiani sunt exempli. Tacemus porro, deprehendi passim varia medicamenta, quorum usus saepius ita inter homines inualuit, magis ut consuetudini satisfiat, quam necessitatibus. Halae Magdeburgicae, verbi causa, haud infrequens, inconsulto saepe medico, est usus *tincturae* cuiusdam *salinae alcalinae*, quae in pharmacopolio orphanotrophei venum it x), suoque modo efficaces omnino habet vires: sed fac, inter haec a medico admissi huius usus incio, dari forte sal qualemque ammoniacale, et profecto vel in ipso ventriculo vicinoque intestinorum tubo iam suo priuabitur vrinoso elemento idem hoc sal, si haud ita multo post horam ab hausta *tinctura salina* adsumeretur y). Idem effectus quoque a *liquore prae-cipitante Clauderiano* poterit exspectari. Sed huiusmodi

E ex-

x) Confer. *Io. Henric. SCHVLZII Praelectiones in Dispensator. Brandenburgic.* a me Noribergae anno 1753. editas; pag. 305. seq.

y) Cum ante hos circiter viginti annos paullo obesum canem, inquiriendi motus intestinorum peristaltici et peruestigandorum chyli lymphaeque itinerum caufa, viuum incifurus essem, duabus horis ante, eundem pulmento oryzae lacteo lautissime expleui et paullo post *tincturae salinae* supra dictae cochleari vnum infudi. Inciso ergo abdomine et per aliquot horae minuta interualla con-specto mirifico intestinorum reptatu, statim circumducto fauci-bus laqueo canem iugulauit, quo restagnans in pulmonibus san-guis copiosorem chyli ad anterius cor ex thoracico ductu efflu-



exemplorum obseruandorum quotidianaे medicis clinicis offeruntur opportunitates.

§. XII.

*Chylum* iam paullo ante attigimus (§. XI.). Sed praeter haec nos considerare oportet, chylum quoque iisdem alienis contaminari inquinamentis, dum per sua ad sanguinem progreditur vascula, quorum iam antea in intestinali recessu particeps est factus. Subtilissime, ut omnia solet, haec ipse disputauit, magnoque obseruationum argumentorumque apparatu confirmavit illustris ALBERTVS de HALLER z): quin ipsum adeo acorem vitriolicum ab ingressu ad chylum reliquamque humorum massam idem non excludit a). Cur ergo mitiora vegetabilis propriae acida, villorum lacteorum ampullas longe laxius coangustatura, hoc ingressu temere interdicamus? Quod si igitur hoc est verum, vti omnino est verissimum, cur dubitemus, illis quoque salibus mediis, quae chylosum iter sunt secuta, hic quoque vim inferri, elementorumque unionem, pro diuersis acidorum ratione, interdum tolli posse? Sed alcalinis etiam salibus in lactea vase, comite chylo, patet via: id, quod nobis met ipsis certissimo constitit experimento. Idem ipse canis, cuius paullo supra (§. XI.) mentionem inieciimus, lacteo chylo turgidulum nobis conspicendum offerebat thoracicum ductum, eo quippe conspiciore, quod altera ante mortem hora pulte oryzae

la-

xum impediret. Quae hic obseruui, deinde enarrabo. Collecta vero ex ieiuno intestino puls cibaria, cum aliqua salis ammoniaci portione remixta et agitata, licet subacidulum antea spiraret odorem, mox manifesta liberati vrinosi indicia exhibuit.

z) In *Elementor. Physiolog.* Tom. VII. pag. 53. seq.

a) *Ibidem*, pag. 55.

laetitia bene pastus erat, et ex faucibus interierat laqueo compressis. Ergo huius chyli duas circiter drachmas vitro angustioris orificii infudimus, experturi attentius, insitne et huic chylo aliquid inquinamenti alcalini, ex tintura salina ista superstitis, nec ne? Eo consilio immisimus salis ammoniaci bene contriti drachmam, protinusque obturato vasculo mixta per sextantem circiter horae agitauimus: quo facto, cum remoueretur obturamentum, odor vrinosus dissolutorum quadantenus elementorum ammoniacalium et progressi adeo ad chylifera vasa salis alcalini fixi index, manifesto est observatus. Quicunque iam porro considerauerit, primo maxima ex parte lympham quoque iisdem, quibus chylus continetur, canalibus vehib); deinde vtrunque hunc liquorem, vel sub ipsa cum sanguine per cor vasorumque sistema repetita circumvectione, diu adhuc suae mixtionis, ipsis quoque variis inquinamentis plenae, esse tenacissimum: sicut ex historia secretionis *lactis* abunde sat is constat; tum hos ipsos liquores sanguini, sine aliis interuentu, adfundi, huicque adeo, quaecunque in ipsis sunt aliena, αριστως permisceri; denique et hoc chemicorum demonstrationibus locupletissime comprobatum esse confirmatumque, quod simpliciora ista quorūcunque salium genera, acidum alcalinumque, difficilius destruantur, quam ea salia, quae enixi ex vtroque hoc sunt generis: is profecto parum habebit dubitationis, quin, quaecunque ex salino genere ab intestinalibus conceptaculis aduexerit lympha chylusue, ea omnia quoque in sanguinem, omnesque inde deductos liquores corporis animalis aquosos, serosos, glutinososque sint transitura, ibidemque, si forte contrarii generis salia colliserint, siue sint simplicia, siue in medio-

E 2

rum

b) Ibidem pag. 199. seq.





rum salium complexum aggregata, mutuam mixtionis prioris destructionem molitura. Forte eiusdem quoque efficacitatis erit quaelibet alia *acrimonia salina animalis*, si paullo liberior fuerit euolutiorque: licet exquisite haec definiri non possint. Saltem ex iis, quae de saliuia morbosa disputauimus (§. X.), haec omnino veri speciem prae se ferunt. Verum enim vero et aliud habeo huius coniectionae argumentum. Neminem, ut opinor, fugit, materiam arthriticam, ex singulari acrimoniae genere natam, primo mobilem, tandem ita ad articulos figi, ut nodi inde relinquuntur, massa quadam tophacea, immo calcaria, repleti: quae ipsa demum, si forte, ut sit, nodosa dehiscent tubercula, effodi colligique potest. Sunt mihi ad manus aliquod huiusmodi massae vnciae, quas senex quidam venerabilis, plus quam octogenarius, dum naturae concederet, et viginti quinque annorum interuallo nodosa arthridide vexatus, ex articularibus nodis subinde effudit collegitur. Cuius materiae siccissimae et in puluerem redactae portiunculam si cum salis ammoniaci aut nitri flammatris tantillo per trituram misceo, protinus acerrimus odor vrinosus nares ferit: quod experimentum saepe numero coram commilitonibus institui. Cum veri sit simillimum, particulas has calcarias, antequam in tophum compingerentur, maiori copia iam articulari inhaesisse succo c), a vero quoque abludere non videtur, quodlibet sal ammoniacale, si forte, arteriarum vias secutum, eodem itinere huc deferatur, sub allis ad elementa haec calcaria ab horum reatione attentatum iri.

### §. XIII.

Confer. illustris de HALLER *Element. Physiolog.* Tom. citat. pag.  
365.

## §. XIII.

Admodum singularis et intricata est quaestio, quidnam *vrinae*, liquoris quippe quam plurimis particulis salinis, in primis peculiari quadam efficacissimo acido, foeti, vis atque aetio in disiungendis salium mediorum, praesertim ammoniacalium, elementis efficere possit. Physiologorum demonstrationibus locupletissime est declaratum, nullibi in vniuerso corpore humano per alia colla plus recrementorum cuiuslibet fere generis transmitti, quam per renes: exemplo mutati in lotio coloris a rheo, opuntiae fructu, beta rubra, et ceteris; mutati odoris ab asparago, iuniper, terebinthina, aliisque; contraactaeque a cantharidis, ab alcalinis, a sale prunellae, pluribusque aliis rebus acrimoniae d); virtutis denique diureticae, plerisque fere salibus communis. His adde tot tamque varia emissae vrinae sedimenta, quae in fano morbo soque hominis statu vis vitae criticusque naturae nisus expellit. Quin etiam arthriticorum vrina deprehensa est lixivioso sale terraue calcarea abundasse e). Quid sabulosam vrinae materiem ipsosque calculos enarrem, quos nemo ignorat. Proinde si haec omnia mecum reputo; si facillimum omnium salium, adeoque etiam mediorum, et ex his ammoniacalium, ad vrinae vias progressum, si quietem naturalis lixiuii vrinarii in vesica, si probabilem denique acidi illius plane peculiaris, quod vrinario inest phosphoro, ex adsumptis vegetabilibus orium f), eiusque adeo certissimam praesentiam antea, quam cum vrinoso sale in notissimum illud

E 3

sal

d) *Ibidem* pag. 339. seq.

e) *Ibid.* pag. 365.

f) *Videsis celeberrimi viri, ANDR. SIGISM. MARGGRAFII Chymischer Schriften, ersten Theil, pag. 110.*



sal ammoniacale, cui *salis nativae vrinae* nomen est (§. IV.), coit, considero, huiusque acidi mirificam in alia acida efficitatem expendo tum profecto impetrare a me non possum, quin hic quoque non defuturas existimem varias soluendorum et in elementa sciungendorum nonnullorum salium mediorum ammoniacalium opportunitates, siue sanguinum hominum spectes corpus, siue aegrotum. Interim ut et meis viderem oculis, quid saltem calculosa vrinae terra in salium ammoniacalium mixtionem efficere possit, varios ex diuersis hominibus electos minores calculos et fabula vrinaria in solutionem aquosam partim salis ammoniaci, partim nitri flammantis inieci. Nullam inde odoris vrinosi exhalationem sensi. At enim vero, postquam singula vitra, quibus mixta inerant, bene obturata eo foueram calore, qui incubati esse solet pulli, vnicum ex his vitris post biduum circiter haud obscure vrinosum oluit; forte quod tum demum compingens gluten a tepido lixiuio solutum calcariam terram reliquerat. Instar pulueris saltem haec ipsa terra vitri fundum occupabat. Reliquarum mixturarum nulla acciderat mutatio: isti vero calculi inerant ex vetula sexagenaria, saepe numero arthriticos dolores passa, cum lotio protrusi.

#### §. XIV.

An ad oleosos corporis humani liquores salia quaecunque, adeoque etiam media et alia, quae his dissolutiōnem minantur, quandocunque ab intestinis sunt excepta, deferri possint, quaestio est, quae a vero abhorre non videtur. Sanguis certe venae portarum, ex quo bilis in hepate destillat, ex toto intestinorum tractu per mesentericas venas plurimum particularum putridarum vrinofarum, etiam forte aliarum salinarum, accipit; vti ex physiologicis

con-

constat *g*). Hoc ex fonte forte defluxerunt ad bilem sal commune et sal mirabile Glauberianum *h*), per experimenta Roedereriana in bile detecta. Cur igitur negemus, et hic destrui posse salia quaedam ammoniacalia, si, verbi causa, acidum quoddam altero fortius aut lixiuiosum sal, forte fortuna, eo simul deueniant. Quid vero effusa ad intestinum bilis aduersus haec salia moliri possit, exquirere nostri nunc non interest instituti. Si porro adipem ossiumque medullam spectas, cui ipsa natura plane singularem atque samque acidam partem immiscuit, diuersis omnino aliis acidis superiore*i*), et a quiete, calore, rancore, aliisque caussis facile euolubilem, et quacum eadem effectrix natura, sicut quotidianae docent obseruationes, tot tamque varia acerrima miasmata, tot acrimonias salinas morbosas, ex parte maxime causticas, coniungit et in cellulas, donec euolui eiicique possint, deponit: cur, inquam, et in hoc quoque oleoso liquore contrariorum salium, vel ex intestinis allatorum, concursum mutuanque destructionem fieri non posse existimemus? Interim haec omnino res esset exquisitiori et physiologorum, et chemicorum, examine merito digna.

### §. XV.

Supereft, vt, quantum ipsa solidarum corporis humani partium mechanica actio in salium mediorum, praecipue ammoniacalium, mixtione mutanda extricandaque efficere

*g) de HALLER libr. et Tom. cit. pag. 69.*

*h) Si quidem verum fuit sal mirabile, quod nondum satis liquet, addendum est eorum salium numero, quae, vt supra diximus (§. III.), in humanis liquoribus chemicorum industria detecta. Confer ROEDERERI dissertat. citat. §. XXIV.*

*i) Vid. IO. ANDR. de SEGNER, dissertat. de acido pinguedinis animalis. Goetting. 1754.*



ficere possint breuiter disputemus. Verum enim vero, quae iam suo hanc in rem dicta sunt loco (§. V.), satis omnino esse, prorsus existimamus. Cui etiam rei illustrandae multum lucis adfunden ea, quae illustris Comes DE LAGARAVIS ope *machinae suaे rotatoriae* in his quoque corporibus mutandis effecit, luculententerque in libro, qui *Chymia hydraulic* inscribitur, descripsit: licet omnino persuasi simus, hoc in inuento plus deprehendi speciosae ostentationis, quam fructuosae efficacisque veritatis. Atque hic disputandorum esto finis; ex quibus saltem haec confici posse arbitramur, vt primo quidem faliū mediorum, dum ab humoribus nostris sunt excepta, operationem figurae partium similarium aggregatarum lubenter concedamus, dein vero eorundem plerorumque, praesertim ammoniacalium, in elementa dissolutionem, sub longiori circuitu progressuque per ante expositas causas certissime accessuram, planissime statuamus. Neque tamen illud nobis sumimus, quasi si hoc argumentum a nobis absolutissime sit exhaustum: sed hoc tantum instituimus, vt alios subtilioris ingenii viros, cotis velut vice, ad eandem materiam suscipiendam absoluendamque exacerberemus. Nobis enim, dum in hoc difficile negotio versabamur, multa subinde subnata sunt dubia grauesque veri perspiciendi eruendarumque caussarum difficultates: adeo, vt saepe numero nobismet ipsis occinerimus Ouidianum illud:


Ut sit, et incertus qua sit sibi neficit eundum,  
Cum videt ex omni parte viator iter:  
Sic, quia posse datur diuersas reddere causas,  
Qua ferar, ignoro, copiaque ipsa nocet.

—  
Pag. 7. lin. 17. comparuit lege comparuit.

UD 18

PICA





DE  
**SALIVM MEDIORVM,**  
NOMINATIM  
**AMMONIACALIVM,**  
OPERANDI RATIONIBVS  
QVAESTIONES ACADEMICAS

PETRO IMMAN

PHIL. ET MED. DOCT. MED.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAES.  
ERFVRT. SCIENT. VTL. I  
HELMSTAD. SODALE,

DOCTORIS M  
LEGITIM

DIE MAI

PVBL  
IOANNES IM  
RVEGENV

TRAIECT  
E TYPOGRAP

